

I.

## Testament

des Cardinals Wilhelm v. Enckevort,

d. d. Rom, 3. Juli 1534.

In nomine Sancte et individue Trinitatis, Patris  
et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Per hoc presens  
publicum instrumentum testamenti cunctis pateat evidenter  
et sit notum, quod anno a nativitate ejusdem domini millesimo  
quingentesimo trigesimo quarto, Indictione Septima, die  
vero Veneris, tertia mensis Julii, Pontificatus sanctissimi in  
Christo patris et domini nostri, domini Clementis, divina  
providentia Pape septimi, anno undecimo, in mei notarii  
publici testiumque infra scriptorum, ad hoc specialiter voca-  
torum et rogatorum, presentia, presens ac personaliter con-  
stitutus Reverendissimus dominus Guillelmus de Enckefoirt,  
tituli Sanctorum Joannis et Pauli Sanctae Romanae Ecclesiae  
Presbyter Cardinalis, Dertusensis vulgariter nuncupatus, ac  
Trajectensis et Dertusensis Ecclesiarum Episcopus, sanus per  
Dei gratiam mente et intellectu, licet corpore egrotus, Consi-  
derans quod nihil certius est morte, horâ autem mortis nihil  
incertius, et ideo sapientis esse eam semper habere pre oculis,  
et ita vivere, ut quacunque hora venerit Dominus et pulset,  
reperiatur nos paratos; et quod inter alia, que paranda sunt,  
non est minimum domui sua prospicere, cum Ezechie Regi  
mortem nunciaturus propheta primum jusserrit prospicere domui,  
et Abraham, gravatus senio, dispensavit inter filios bona sua,  
et filios concubinarum separavit a filio legitimo et naturali,  
Isac, adhuc vivens, ne post mortem suam super divisione

veniret in discordiam. Iccirco mortem habens pre oculis, exemplo tantorum tamque sanctorum virorum, dum mens sana est et nullo distracta dolore, sed tota in sese collecta, perspicacius videt, rebus suis pro pace et quiete successorum ordinem dare volens, suum testamentum sine scriptis, quod nuncupativum dicitur, in vim facultatis, sibi per prelibatum Sanctissimum dominum nostrum concesse, condidit in hunc, qui sequitur, modum, videlicet:

In primis commendavit animam suam omnipotenti Deo, Creatori suo, et beate Marie Virgini totique curie coelesti.

Et si ipsum in Urbe decedere contingeret, voluit corpus suum sepeliri in Ecclesia Hospitalis Theutonicorum ad latus, ubi est depositum bone memorie quandam domini Matthei Cardinalis Sedunensis.

Exequias voluit fieri quanto citius fieri poterit et cum quam minima poterit pompa, servato tamen decore et auctoritate dignitatis Cardinalatus, committendo arbitrio et discretioni exequitorum testamenti, quos infra dicet, tam panos funebres, familiaribus dandos, quam expensas exequiarum, et structuram sepulchri faciendi.

Item voluit, quod in die obitus sui, si fieri poterit, alioquin statim sequenti die, celebrentur centum misse, partim in Ecclesia beate Marie De Anima, partim in Ecclesia Sancti Gregorii, partim in Ecclesia Are Celi: si quidem ipsum in urbe decedere contingat: alias in loco, ubi decesserit.

Item voluit, quod in Ecclesia sepulture sue per integrum annum quotidie celebretur Missa una. Et quod in eadem dotetur per suos heredes una Missa perpetua, quolibet die dicenda.

Sanctissimo domino nostro Clementi, papae Septimo legavit ducatos quingentos auri in auro de Camera, pro anulo Romano Pontifici solvi solito, et paramentis Capelle, si sanctissimo domino nostro placuerit, et eidem commendat heredes et familiam.

Ecclesie beate Marie de anima Theutonicorum in urbe pro salute anime sue legavit medietatem domus, que fuit quondam domini Thome deis, et medietatem illius domus, que illi contigua est, et media jacet inter illam quondam domini Thome et domum domini Joannis de Macerata Phisici.

Reliquas medietates reliquit magistro Michaeli et domino Gotefrido de Enckefoirt, nepotibus suis, sine prejudicio tamen usufructus, quem hodie per acta mea, seorsim ab hoc testamento, certe ibi nomine persone ad vitam ipsius concessit; voluit tamen, si dicti Magister Michaël et dominus Gotefridus vellent dictas domos emere, quod agentes dicte Ecclesie teneantur vendere eisdem medietatem suam, pro precio per dominos, exequutores hujus testamenti, vel duos ex eis, estimando.

Item dominis Michaeli et Gotefrido predictis legavit officia, que habent, et dedit pro cassis obligationes, quas habet ab eisdem pro dictis officiis.

Item quia in resignationibus beneficiorum, quas fecit familiaribus et officialibus suis, solitus fuit, ad tenendum eos in freno, sibi reservare fructus eorundem beneficiorum, vel pensiones super illis, legavit omnibus talibus familiaribus et officialibus liberationem fructuum perceptorum et pensionum decursarum et declaravit eorum, quos habet in hoc numero, nomina indicasse reverendo domino Petro Vortio, Electo Aquensi ac domino Andree Castillio, quorum dicto voluit stari circa premissa.

Vineam, quam habet apud Colosseum sub monte Sanctorum Joannis et Pauli, reliquit pro medietate fratribus dicti monasterii Sanctorum Joannis et Pauli, et pro altera medietate Hospitali Sancte Marie de Consolatione, cum onere, si dicti fratres Sanctorum Joannis et Pauli vellent ab Hospitali Consolationis emere dictam relictam medietatem, quod agentes dicti Hospitalis teneantur illam eisdem fratribus vendere pro

precio, estimando per suos infrascriptos exequutores, vel duos ex eis.

Item legavit Ludovice de Arte puelle, ad praesens existenti in monasterio Sanctae Catharinae de Senis, scuta quinquaginta, pro dote, ad nubendum, vel ad intrandum monasterium.

Creditoribus declaravit velle satisfieri, et declaravit se esse debitorem heredum quondam domini Thomae deis in ducatis quadringentis de Carlenis, ratione domus de qua suprá; de quibus voluit iis satisfieri per suos heredes infrascriptos.

Magistro Gisberto, medico suo, legavit ducatos quadringentos de Carlenis, sibi debitos per Hospitalem Sancte Marie de anima, de urbe, in casum, in quem Confratres dicti Hospitalis nolint consentire, quod dictus magister Gisbertus habeat domum, quam habitat, ad vitam suam et uxoris suae et filii sui jam nati, sub pensione, quam nunc solvit, juxta donationem nuper Hospitali factam de dicto credito.

A domino Adamo Ricardi, Decano Bonnensi, qui alias officium Archivii habuit in sua persona, pertinens ad dominationem suam Reverendissimam, confessus fuit, habuisse bonum computum de fructibus dicti officii, et ideo de illis quietavit eum.

Obligationem centum scutorum, factam per dominum Nicolaum Gengulfum Parisot, Clericum Tullensis diocesis, Camarum et Butilerum suum dedit, pro cassa, si facta reperiatur dominationi sue Reverendissime: constito quod dicta centum scuta dictus Nicolaus solverit agentibus Guillelmi Petri, ut ait constare per quietanciam eorundem mercatorum.

Hereditatem quondam Domini Ambrosii Lamberti cedit domino Rombaldo Stellart et magistro Joanni Dicot, ad distribuendum inter filiam et consanguineos defuncti et pauperes.

Onus exequutionis testamenti quondam domini Jo-hanni Colardi cedit eidem domino Rombaldo et domino Jacobo de la Cerqua in solidum.

Heredem universalem omnium bonorum omniumque jurium et actionum instituit, et ore proprio nominavit, ho-nestam dominam Elisabetham de Enckefoirt, sororem suam, conjugem domini Gerardi Michaelis, cui substituit filios ipsius masculos in duos trientes, et filias feminas in unum trientem; ad que inter ipsos fratres et sorores substituit alterum alteri, sine liberis legitimis et naturalibus predecedenti, vulgariter, pupillariter, et per fideicommissum. Et in hoc fideicommisso voluit loco parentis succedere liberos, si tempore casus fidei-commissi contingere aliquem ex dictis fratribus et sororibus, inter quos fideicommissum factum est, decessisse, superstitibus liberis. Oneravit tamen dictos heredes ad distribuendum in-ter propinquos et affines, qui sunt pauperes et indigi, flo-re-nos bis mille monetae Brabantiae, arbitrio dicte heredis et unius ex exequitoribus dandis in partibus.

Item oneravit eosdem ad perficiendum Hospitale pau-perum, ceptum in loco natali, vocato Mirlo Leodiensis dio-ceeos, cujus voluit dictam heredem et ejus posteritatem ad-ministrationem habere in perpetuum.

Exequutores testamenti instituit patrimonii in partibus Illustrissimum Reverendissimum dominum Everhardum, Car-dinalem Leodiensem, et Reverendissimum dominum Joannem, Archiepiscopum Panormitanum, et Venerabilem virum domi-num Tilemanum Theoderici Regentem Collegii Theologorum, Lovanie per felicis recordationis Adrianum papam sextum instituti, et spectabilem dominum Gotefridum\*) dor. absentes (?) in solidum ad defendendum et tuendum in omnibus hoc Testamentum et hanc ipsius ultimam voluntatem, et heredi institute suis favoribus et auctoritatibus assistendum; et si quo in legato, aut si quo in onere prestando heres esset

\*) v. Enckefoirt, sein Neffe.

miorosa, tunc eam ad satisfaciendum voluntati ipsius testatoris sollicitandum, urgendum et compellendum, et ut voluntas Testatoris exequutioni mandetur in rebus illius patrimonii procurandum et efficiendum.

Patrimonii vero, quod est in Italia et Rome, Exequutores fecit Reverendissimum dominum Laurentium Cardinalem Campegiun, et Reverendissimum dominum Johannem Dominicum, Episcopum Sabinensem, Cardinalem Tranensem, et Reverendissimum dominum Antonium, Cardinalem Sancti Severini, necnon Reverendum patrem dominum Petrum, Episcopum Aquensem, et Reverendum dominum Joannem Ingenwinckel, praeposatum Xaintonem, Sanctissimi Domini nostri Pape Datarium, et dominum Andream de Castillio, Scriptorem apostolicum; Reverendissimos dominos Cardinales in specie: Ad superintendendum, ut sua ultima voluntas debite exequutioni mandetur; omnes autem conjunctim et divisim; Ad calculandum cum personis, quibus cum negotia sibi fuerunt in dando recipiendoque, vel aliter quomodoconque et calculos hujusmodi solidandum; Et creditoribus de suis legitimis creditis satisfaciendum et a debtoribus satisfactionem exigendum et recipiendum, et habuisse confitendum, bona hereditatis venditandum et in solutum dandum; Et pro executione contentorum in hoc Instrumento vendendum et distraherendum et in pecuniis redigendum, distractorumque evictionem promittendum, et fidejussores rogandum, et dandum datisque indemnitatem promittendum; Et super quibusvis rebus cum quibusvis personis, prout ipsis videbitur, concordandum; Et super omnibus et singulis quoscunque contractus faciendum illosque poena et juramento firmandum, et tam de exactis et recuperatis, quam de remissis per concordiam, ac de his, quae accepto ferentur, quietandum; Item ad comparendum quali et in quocunque foro, sive judicio, coram quibusunque judicibus et commissariis, tam ordinariis, quam extraordinariis, ac delegatis et subdelegatis et aliis quibuscunque; Et omnes et singulas lites et causas controversias

et questiones, tam motas, quam movendas active et passive agendum, defendendum et pertractandum, et propterea libellum et libellos et quascunque alias petitiones summarias et simplices verbo, vel in scriptis, dandum et recipiendum dareque et recipi videndum; Litem et lites contestandum et contestari videndum; Calumnies et cuiuslibet alterius generis licitum, honestum et necessarium juramentum in animam ipsius Testatoris et ejus nomine prestandum, et ex adverso prestare videndum, exponendum et articulandum ponique et articulari videndum; Nec non ad omnes et singulos actus et terminos judiciales, tam substantiales, quam accidentales, liti necessarios in quacunque curia, tam Ecclesiastica, quam Seculari, procedendum et procedi videndum ac eos tenendum, et observationem sententiam et sententias, tam interloquutorias, quam diffinitivas, ferri petendum et audiendum, et ab ea, vel eis, et a quocunque alia gravamine, ipso domino constituenti illato, vel inferendo, provocandum et appellandum Apostolosque semel et pluries debita cum instantia postulandum et obtinendum, Appellationemque et appellations hujusmodi intimandum, insinuandum et notificandum, ad (ac) ipsas ad Romanam curiam, si opus fuerit devolvendum et devolvi faciendum; Expensas damnum et interesse taxari petendum et faciendum; ac, quando ipsis sic necesse fuerit, unum quoque, vel plures, procuratorem, seu procuratores, loco sui et cum simili aut limitata potestate substituendum, eumque vel eos revocandum, et onus procurementis hujusmodi in se reassumendum, toties quoties opus fuerit, presenti procuratorio nihilominus in suo robore permanente; Et generaliter ad omnia negotia, que pro tempore occurrant, cum libera administratione; Promittens idem Reverendissimus dominus testator, constituens mihi Notario publico infra scripto, tanquam publice et authentice persone legitime stipulanti ei recipienti vice ac nomine omnium et singulorum, quorum interest, intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum, se ratum, gratum atque firmum perpetuo habi-

turum totum id et quicquid per dictos dominos exequutores et eorum quemlibet, ac substituendos ab eis, actum, dictum, factum gestumve fuerit, seu alias quomodolibet procuratum; Relevans eosdem et relevatos esse volens ab omni onere satisdandi judicioque sisti et judicatum solvi, cum clausulis necessariis et opportunis sub hypotheca et obligatione omnium et singulorum bonorum suorum mobilium, et immobilium presentium et futurorum quorumcunque, ac qualibet alia juris et facti renunciatione ad hec necessaria pariter et cautela; Voluit tamen, quod in quietando interveniant duo ex eis.

Item voluit, quod hec facultas dictis dominis exequitoribus competat statim a morte ipsius, etiam hereditate per heredes nondum adita, et siqua dubia orirentur super premissis, voluit super illis stari declarationi dictorum dominorum Exequitorum, rogans Reverendissimo dominos Cardinales omni cum humanitate et reverentia, et ceteros per omnia jura et vincula amicitie, ut intuitu charitatis et dei dignentur onus executionis hujusmodi acceptare, et hoc ultimum beneficium sibi prestare, ut disposita in hoc suo supremo judicio rata sint et executioni mandentur. Et hanc dixit esse suam ultimam voluntatem, quam valere voluit jure Testamenti, et si jure Testamenti non valeret, ratione omissionis, pretensionis vel alterius cujuscunque solemnitatis, voluit et vult ipsam suam ultimam voluntatem valere jure codicillorum, seu donationis causa mortis, aut inter vivos, et tamquam jure ultime voluntatis, quo melius valere poterit et tenere. Cassans, irritans et nullans idem Reverendissimus dominus Cardinalis Testator omne aliud Testamentum et quamcunque aliam ultimam voluntatem, per eum hactenus quocumque seu quibuscunque verbis etiam derogatoriis factum et factam. Super quibus omnibus et singulis premissis, idem Reverendissimus Dominus Cardinalis Testator sibi a me notario publico infrascripto unum et plura publicum et publica fieri atque confici petit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt hec Rome in Camera ipsius Reverendissimi domini Cardinalis

Testatoris, presentibus ibidem egregio venerabilibus et discretis viris dominis, Johanne Lemetren in Romana curia causarum procuratore, Martino Offermann Canonico Leodiensi, Prospero de Machis cive Romano de regione pontis, Theodorico de Palude Clerico Leodiensis Diocesis, Cornelio de Etten Clerico Leodiensi, Joanne Menart Clerico Cameraensis Diocesis, Marco Antonio de Colonia, Laico Veronensi et Joanne Euskirchen procuratore contradictarum, Clerico Treverensis Diocesis, testibus ad praemissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et Ego, Jacobus Apocellus, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus, ac curiae causarum camerae Apostolicae Notarius, quia premissis interfui omnibus, et singulis, una cum prenominatis testibus, Ideo ea in notam sumsi, unde presens instrumentum extraxi, quod, aliena scriptum manu, mea subscripti signoque meo solito et consueto signavi in fidem eorumdem, rogatus et requisitus.

Auf der folgenden Seite:

CLEMENS VII PAPE DE ROME.

Auf der letzten Seite:

Officialis Leodiensis: Quia pro parte Gerardi Michaelis et Domicellae Elisabeth Enkkevoirt, heredum et Executorum in retroscripto Testamento nominati per repraesentationem quitancie et alia fidelissima documenta, ob hoc ad manus fidelis nostri Henrici de Campo, Notarii et scribe nostri sub-signati, per nos deputati, exhibutum et productum de satisfactione duorum milium florenorum Caroli, per dictum retro-nominatum Testatorem ut retro legatorum, sufficienter documentatum: Iccireo eundem Gerardum et Domicellam Elisabeth executionem prenominatam, quoad satisfactionem duorum milium florenorum Caroli a nobis et judicio nostro licentiam (licentiatam?) esse duximus et licentiamus per pre-

sentem. Et cum dicta domicella Elisabeth commode, pro diversis respectibus, coram nobis allegatis, Legatum per dictum Testatorem, juxta ejusdem Testatoris premissam dispositionem, perferre et implere non possit, saltem infra terminum hujus anni, ob hoc terminum Donationis et satisfactionis Hospitalis in Mierloe continuamus et suspendimus. Datum anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto, mensis Aprilis die decima tertia.

(Gez.) Henricus de Campo, qui ad h. . . . .

Auf der Aussenseite des Testaments steht:

Testamentum R<sup>mi</sup> in Xto Pris et Dni. Dni. Wilhelmi  
de Enckenvoirt tt. Sectorum Jo. et Pau. S. R. E. pbri  
Car<sup>lis</sup> Dertusen, et Epi. Trajecten.

Abgedruckt nach dem Druck bei Rooyards, Levensberigt etc.  
a. a. O., Seite 73—93.